

» capax non existat, ac ipsi neque divina officia latinorum intelli-
» gunt, neque illorum ritus sequuntur, et cum ipsis latinis in illorum
» divinis officiis eis persistere non videtur. Ob hoc igitur pie consi-
» derantes dilecti filii prior et conventus domus ss. Joannis et Pauli
» etiam Venetiarum ord. frat. predicatorum quandam capellam
» sub vocabulo s. Ursule ecclesie dicte domus contiguam pro certa
» annua elemosina eisdem priori et fratribus per dictos Christifide-
» les grecos annualim largienda, cum beneplacito tamen ejusdem
» Sedis concesserunt. Quare pro parte ipsorum Christifidelium gre-
» corum, ne in eorum devotionibus et ritibus aliquod incomodum
» sive detrimentum patiantur, nobis fuit humiliter supplicatum qua-
» tinus eisdem priori et conventui dictam s. Ursule capellam con-
» cedendi, sive jam concessam liberandi, ac eisdem fidelibus grecis
» eandem recipiendi, ac missas et alia divina officia juxta ipsorum
» ritus et mores per clericos et presbiteros grecos celebrari et alia
» exercere faciendi atque dicendi, que similiter rector parochialis
» ecclesie in sua parochia facit, atque facere potest, et que fidem
» et devotionem illorum Christifidelium grecorum concernunt licen-
» tiam concedere et alias in premissis opportune providere de beni-
» gnitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eorundem fidelium
» grecorum piis desideriis annuere cupientes hujusmodi supplica-
» tionibus inclinati, discretioni vestre per Apostolica scripta man-
» damus, quatinus vos, vel duo, aut unus vestrum, si est ita, dum-
» modo in premissis aliqua pactio illicita non interveniat, prefatis
» priori et conventui dictam sancte Ursule capellam eidem fidelibus
» grecis persistentibus in vera Sedis prefate obedientia concedendi,
» ipsisque fidelibus grecis, mediante elemosina predicta eandem
» capellam s. Ursule recipiendi, ac missas et alia divina officia ju-
» xta grecorum ritus et mores per presbyteros et clericos grecos
» celebrandi ac celebrari faciendi, et alia exercendi ac exequendi
» atque dicendi, que quilibet rector parochialis ecclesie in sua
» parochia facit et facere potest, et que ipsorum fidelium grecorum
» fidem et devotionem concernunt licentiam et facultatem auctoritate